



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Martini Lvtheri Piae Ac Doctae Operationes In Dvas Psalmorvm Decades

Luther, Martin

Basileae

VD16 L 5540

Cu[m] exarserit in breui ira eius, beati omnes qui confidunt in eo.

urn:nbn:de:hbz:466:1-37005

sed uiribus proprijs obtenta gloriantem. Hic enim adorat & osculatur manū suā, ore suo: quia se laudat in se, sibi placet in se, non in domino laudatur anima eius. Ideo est iniquitas maxima, & negatio altissimi, ut quæ id quod dei est sibi tribuat, seipsam in idolum Baal sibi statuens, seque adorans, se autorem faciens honorum suorum: Nam בעל Baal autorem seu dominum significat. Sic est adoratio impurissima: quare Christum osculari, Christum agnoscere saluatorem, & illius manum osculari, hoc uere & pure & purum adorare est, hoc in timore seruire Christo. Si filius (inquit) uos liberauerit, uere liberi eritis. Concludamus itaque: Vult propheta, ut seruiamur Christo in timore: se peccatores agnoscamus, & semper accusent, solum deum iustificent in Christo: Sed cum ei possint occurrere, & prætere se legem seruasse, iustos esse, non peccasse, nec Christo ad iustitiam opus sibi esse. Huic præsumptioni pessimæ occurrens dicit: Nolite existimare uos esse iustos, exinanite hanc opinionem Idolatræ, ne uos deo æquetis, nolite fidere in iustitijs uestris, immo filium osculamini, filium amplectimini, illius manus, illius iustitia, illius salus uos seruat. Atque hoc nisi feceritis, irascetur iustitia uestræ, & peribitis de uia, seu (ut ego somnio) peribitis cū uia uestra. Nam hebraice satis obscure dicitur ויהי הנהגתו דרך, id est, & peribitis uia, quod per eclipsim pro, peribitis cū uia, dici mihi uidetur, iuxta psal. j. Iter impiorum peribit. Veruntamen nullius sensui præiudico, ego non uideo, quomodo de uia iusta pereant: qui in uia iusta nondum sunt. Terri autem periculo suo possunt, qui in uia sua tanquam iusta sibi placentes, Christum ueram uiam non agnoscunt.

Cū exarserit in breui ira eius, beati omnes qui confidunt in eo.

Hæc pars ad uersum præcedentem pertinet in hebræo, qui totus sic ordinatur: Adorate filium ne forte irascatur, & pereatis cum uia, quoniā exardescet breui ira eius. Beati omnes qui confidunt in eo.

Est ergo sensus: Maturate & festinate Christū adorare, ne pereatis in ira eius. Ac ne uos ipsos fallat, quasi adhuc longe sit: Scitote, quoniā cito & in breui exardescit ira eius, subito dū non speratis ueniet: sicut Matth. xxiii. Si dixerit malus seruis ille in corde suo, morā facit dominus meus uenire, ueniet dominus serui illius in die qua non sperat, & hora qua ignorat. Sic Prover. j. Cū uenerit repentina calamitas, Et. j. Thef. v. Ipsi diligenter scitis, quia dies domini sicut fur in nocte, ita ueniet. Cū enim dixerint, pax & securitas, tunc repentinus eis superueniet interitus. Terribilis est ergo ista cōminatio, quia si subito apprehenderit ira dei, non erit qui eripiat. In fine pulcherrimo psalmum cōcludit epiphonemate. Hæc est, inquit, summa summarū: Beati oēs qui confidunt in eo, ideo enim passus est, ideo resurrexit, ideo cōstitutus est rex, ideo accepit oīa in hereditatē, ut saluare possit omnes, qui confidunt in eo.

Hæc autem confidentia iustificat sola, sine operibus legis: ut Apo. ad Ro. & Galat. docet. Verum difficillima est tot resistētibus aduersitatibus, tot alligentibus prosperitatibus: Beati ergo qui non fuerint scandalisati in eo quod opus est diuinæ gratiæ, nō autē humanæ uirtutis. Sic enim spūs benignus nō in æternū cōminatur, sed terribus rursus consolatur sine fine: Si (inquit) timetis iram eius, nolite desperare, confidite: Beati oēs qui confidunt in eo: Ideo enim terret ira eius, ut ad fiduciā illius uos urgeat. Amen.

Psalms